



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiae Gallicanae, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

V. Rogerius Hovedenus in causa sancti Thomæ Cantuariensis loquens de Legatis Romanæ Ecclesiae, ait eos plus aurum & argentum fitire quàm justitiam & æquitatem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

*Henr. Hun-
don. lib. 7.*

conus Huntindoniensis his verbis: *Ad Pascha verò Iohannes Cremenſis Cardinalis Romanus deſcendit in Angliam; perendinansque per episcopatus & abbatias, non sine magnis muneribus, ad nativitatem ſanctæ Mariæ celebravit Concilium ſolenne apud Londoniam. Nolo heic commemorare foediſſimum facinus quod paulò poſt iſta narrat idem Huntindoniensis, de meretrice nimirum deprehenſa cum Legato, cum ſciam illuſtriſſimum Cardinalem Baronium contendere narrationem hanc eſſe falſam. Quanquam ſi quis eam veram præſtare vellet, facilè, ut ego quidem arbitror, argumenta Baronij diſſolveret.*

*Baron. ad an.
1155. f. 14.*

*Baron. ad 1151. 5.
6. Otto Frimſg.
lib. 1. de geſt. Fri-
der. c. 61.*

*S. Bernard.
epiſt. 190.*

IV. Tempore dein Eugenij III. fuit quidam Legatus adeo infamis & inverecundus ut iracundiam ſancti Bernardi adverſum ſe excitaverit. Fuit iſ, ut Baronius adnotat, Iordanes Cardinalis, Legatus tum ad Conradum Imperatorem miſſus. Sic ergo de eo ſcribit ſanctus Bernardus ad Hugonem Episcopum Oſtienſem: *Pertransit Legatus veſter de gente in gentem & de regno ad populum alterum, foeda & horrenda veſtigia apud nos ubique relinquens. A radice Alpium & regno Theutonicoꝝ per omnes penè Eccleſias Franciæ & Normanniæ & circumquaque circumiens uſque Rothomagum vir apoſtolicus replevit non evangelio ſed ſacrilegio. Turpia fertur ubique commiſſiſſe, ſpolia Eccleſiarum aſportariſſe, formoſulos pueros in eccleſiaſticiſ honoribus ubi potuit promoviſſe, ubi non potuit voluiſſe. Multi ſe redemerunt ne veniret ad eos. Ad quos pervenire non potuit, exegit & extorſit per nuntios. In ſcholis, in curiis, in triviis, fabulam ſe ipſum fecit. Seculares, religioſi, omnes malè loquuntur de eo. Pauperes & monachi & Clerici conqueruntur de eo. Homines quoque ſuæ profeſſionis ipſi ſunt qui magis exhorrent & famam ejus & vitam. Hoc teſtimonium habet & ab hiis qui intus & ab hiis qui foris ſunt.*

V. Nihilò favorabilior Legatis Romanis fuit Rogerius de Hoveden in cauſa ſancti Thomæ Cantuarienſis. Agens enim ad annum MCLXV. de diſcidio quod exortum erat inter eundem Thomam & Henricum ſecundum Regem Anglorum, adverſus quem Henricus legatos ad Alexandrum Papam miſerat, addit: *Illi autem videntes ſe non poſſe proficere, petierunt à Domino Papa duos Legatos mitti in Angliam ad cognoscendam controverſiam quæ erat inter Regem & Archiepiſcopum Cantuarienſem, & ad determinandam eam in honorem Dei & ſanctæ Eccleſiæ & regni. Sed Dominus Papa nullum Cardinalem nec aliquem Legatum mittere voluit, ſciens quòd Rex Angliæ potens erat in opere & ſermone, & quòd Legati ex facili poſſent corrumpi, utpote qui plus aurum & argentum ſitiunt quàm juſtitiam & æquitatem.*

VI. Eadem tempeſtas protulit monſtrum avaritiæ, Ioannem ſcilicet Cardinalem Neapolitanum vulgò dictum, qui lucri cauſa, ut Baronius obſervat, frequenter munus legationis in Siciliam ab Alexandro tertio extorquere conſuevit. Nolo heic commemorare quæcunque de eo narrat Hugo Falcandus, illorum temporum elegantiffimus ſcriptor. Sufficiet unica cauſa divortij Comitum Richardi, quam iſte Legatus ſummo jure contra fas & iſtituta majorum diremit pecunia corruptus. *Per idem tempus, inquit Hugo Falcandus, Richardus de Sagio Panhormum veniens, uxorem ſuam ſororem Bartholomæi Perſini ſecum adduxerat, ut, ea diſmiſſa, nepem Archiepiſcopi Capuani nobiliſſimam meretricem, cujus amore dudum captus fuerat, matrimonio ſibi conjungeret. Hic cum Apulia diu Capitanus & magiſter Comeſtabulus extitiſſet, toties aliis rebellantibus fidem inconcuſſam retinens, nunquam ab Rege deſecit: quem Regina benignè ſuſcipiens, dedit ei comitatum Richardi de Aquila Fundani Comitum, qui ſine ſpe reditus in Romanorum finibus exulabat. De ſolvendo quoque matrimonio præcepit Curia familiaribus ut convocatis Episcopis aliſque perſonis eccleſiaſticiſ, & auditis utriuſque partis allegationibus, quòd inde dicitur aequitas expedirent. At illi rogaverunt Cardinales ut ejuſdem intereſſent examinationi negotij, eò quòd ipſi promptiores harum rerum haberent notiitiam, cum Romana Curia frequenter ſuper huiuſmodi cauſis cognosceret. Ioannes ergo Neapolitanus eorum facile petitioni conſenſit. Episcopos autem Hoſtienſis, vir honeſtatis non indubiæ, cum ſocium ſuum vididiſſet muneribus & gratia eſſe corruptum, eoque ipſo rectè iudicandi libertatem ſublatam, nullis precibus adduci potuit ut eorum vellet iudicii intereſſe. Cauſa verò propter quam predictus Richardus putabat oportere diſſolvi conjugium hæc erat, quòd ſe dudum ante contractum matrimonium cum quadam uxoris ſuæ conſobrina rem habuiſſe dicebat. cujus rei teſtes proceſſerant duo Milites hoc ſe vididiſſe certiſſimè proteſtantes. Quòd cum adverſa pars denegaret, eſſentque qui falſum eos perhibere teſtimonium probaturi aſſererent, cauſam ejuſmodi crederent, eſſi conſitaret ad ſolvendum matrimonium poſſe ſufficere, ſed ut objecti conſanguineæ ſuæ criminis injuriam propulſarent, Cardinalis rem breviter ſatagens deſinire, predictis teſtes jurare præcepit. Inde ſoluto matrimonio, & ab utraque parte de non coeundo deinceps præſtitio ſacramento, Richardo poteſtatem dedit ad ſecundas nuptias licitè tranſeundi, illam autem juſſit ſine ſpe conjugij permanere. In quo licet eum eccleſiaſtici viri qui aderant, Richardi de Sagio & amicorum ejus gratiam ſequutum fuiſſe non ambigerent, illud tamen propenſius mirabantur, quòd viro qui deliquerat abſoluto, mulieri, quæ nihil*

*Baron. ad an.
1157. f. 11.*

*Hugo Falcandus
in ill. lib.
147. 11.*

*Men
248*